

Caeterum Confessarius, ut habent Doctores, magis sollicitus esse debet in inculcanda orandi frequenter necessitate, quam in determinanda gravi omissae orationis culpa.

Resp. 2^o Urget *per accidens* 1^o in gravi tentatione, quae alio modo facile repelli non possit; 2^o in manifesto mortis periculo; 3^o in publicis calamitatibus; 4^o quoties aliud praeceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria, v. gr., si Sacramenta sint recipienda; 5^o quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

261. — QUAER. 2^o *An peccet qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

Resp. Neg. praecise *per se*, si interdum tantum omittantur. Ratio est, quia nulla lex est, quae determinatas preces singulis diebus et certis horis praecipiat. Quidam tamen advertunt, raro aliquam abesse negligentiae et acediae culpam.

Caeterum in praxi excusari prorsus ab aliqua culpa non possunt, qui illas saepius omittunt, tum quia forte minime orant alio tempore, alio modo, et sic orationis praecepto aliquando deerunt; tum quia ob pericula, quae quotidie occurrunt, neglecta oratione in plura peccata labentur.

QUAER. 3^o *Quomodo peccet distractus voluntarie in oratione?*

Resp. *Per se* peccat venialiter, quoties sine iusta ratione voluntarie distrahitur, idque valet, etiamsi oratio fiat absque obligatione, quia aliquam irreverentiam Deo irrogat. — Elbel, n. 419.

262. — QUAER. 4^o *Pro quibus sit orandum?*

Resp. 1^o Pro nobismetipsis (iusta 1^{am} Charitatis regulam); 2^o pro om-

dictis verbis conceptam *satis rationabilem* dixit Ioannes a S. Thoma (2. 2. q. 83. art. III. n. 6.). — Ulterius progressus hanc menstruam obligationem dixit *gravem* Palaus (Tr. 7. disp. 1. p. 8. n. 3.), cui male Ioannes a S. Thoma associarunt Salmanticenses (l. c.), et illum opinando (*autumarem*, ait) sequutus est Roncaglia (Tr. 7. q. 1. cap. 1. q. VII.); quamquam Palai opinio vix huc pertineat, cum de oratione *ad vincendas tentationes necessaria* expresse disserat. Quidam alii denique hoc praeceptum urgere dixerunt singulis hebdomadis, rati scilicet vix satisfieri praecepto audiendi Missam, nisi aliqua oratione addita, posse: quae opinio praeterquam ad rem non facit, quia de oratione, uti medio ad aliud praeceptum

servandum, disserit, communiter tum quoad se, tum quoad rationem allatam reiicitur. Concludamus huc revocando principium ab omnibus admissum, nempe non esse asserendam *gravem culpam aut obligationem*, nisi manifeste et evidens ratio id postulet; atqui eiusmodi rationem, quoad hebdomadarias aut menstruas obligationes graves, deesse manifeste patet, quippe quam videre nemo adhuc potuit. Adde et implexissimam deinde quaestionem, quid ad gravem culpam vitandam opus sit, sufficiatne semel dixisse: *Deus adiuva me*, aut quid aliud. Merito igitur A. monet, Confessarium magis inculcandae necessitati frequenter orandi, quam determinandae omissionis gravitati insistere debere.

nibus hominibus viatoribus, etiam infidelibus; 3^o pro animabus in purgatorio detentis. Eruitur 1^o ex lege generali Charitatis; 2^o ex verbis D. Pauli, 1. *Tim.* 2. 1: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus: etc...: nec excipiendi sunt inimici, ut patet ex verbis Christi, Matth. 5. 44: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (2).

QUAER. 5^o *Quosnam praeter Deum orare possumus?*

Resp. Beatam Virg. Mariam, ut mediatricem nostram, Angelos, ut custodes hominum; omnes Sanctos et amicos Dei, ut intercessores nostros apud Ipsum. Invocari privatim possunt etiam infantes baptizati et ante usum rationis defuncti, et iuxta Less., Bellarm., Bonac., Elbel... idem probabilius dicendum est de animabus in purgatorio detentis.

Invocatio autem Sanctorum est de consilio, non vero de praecepto, cum Trid., sess. 25., dicat tantum *esse bonum et utile eos invocare*. Valde tamen salutis suae incuriosus videbitur ille, qui nunquam B. V. Mariam invocet, quandoquidem peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta sit.

CAPUT II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

Vitia Religioni opposita sunt 1^o superstitio per excessum; 2^o irreligiositas per defectum.

ARTICULUS I. — DE SUPERSTITIONE.

Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum, quo vel vero Deo exhibetur cultus indebitus, vel creaturae cultus soli Deo debitus. — Ita communiter ex S. Thoma 2. 2. q. 92. art. 1. (1).

(2) Huic muneri pro omnibus orandi facit satis, qui licet inter orandum nullam aliorum memoriam adhibeat, tamen in precibus, quae non pro se tantum funduntur, cuiusmodi sunt *Oratio Dominica, Salutatio Angelica*, etc., neminem positive excludit.

(1) Ita S. Thomas: *Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum; non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio; sed quia exhibet cultum divinum vel*

cui non debet, vel eo modo, quo non debet. Porro sicut superstitio virtuti religionis opponitur *secundum excessum*, ita aliud vitium eidem virtuti opponitur *secundum defectum*, nempe irreligiositas, de qua Auctor in seq. articulo.

Superstitionem autem cultus *indebiti*, idest vero Deo praestiti, sed *eo modo quo non debet*, duplicem ita distinguunt DD., ut alia sit superstitio *cultus falsi*, alia *cultus superflui*: de quibus videsis S. Alphons. (lib. 3. n. 3.).

§. I. De idololatria.

263. — Idololatria est actio, qua cultus soli Deo debitus creaturae tribuitur; id vero fit non tantum sacrificio, sed quovis honoris signo, quo quis creaturae tamquam Deo se submittere intendit v. gr. genuflectione. — S. Lig. n. 12.

Idololatria duplex distinguitur, scilicet 1^o *Materialis* sive *simulata*, cum quis sine affectu interno, ex gravi metu, cultum idolo exhibet. Diceretur etiam *materialis*, si procederet ex errore invincibili, v. gr. si quis falso putans Hostiam esse consecratam, eam adoraret. In 1^o casu esset peccatum mortale; in 2^o nullum, ut patet.

2^o *Formalis et propria*, quae fit 1^o adorando creaturam tamquam Deum; 2^o exhibendo cultum daemone vel alteri creaturae quasi Deo, aut saltem ex animo aliquid a tali creatura obtinendi, quod a solo Deo postulari potest (2). — S. Lig. n. 13.

§. II. De vana observantia.

264. — Vana observantia est superstitio, quae media nec proportionata, nec a Deo instituta adhibet ad certum effectum obtinendum.

Triplacis est generis, scilicet, 1^o *Ars notoria*, seu ars acquirendi scientiam sine labore (3). 2^o *Ars sanitatum*, seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris. 3^o *Observantia eventuum*, quae ex consideratione alicuius eventus fortuiti coniicitur quid faustum vel infaustum futurum sit. — S. Lig. n. 14.

(2) Clarius alii distinguunt idololatriam perfectam et imperfectam. *Perfectam* dicunt, quae infidelitatem presse sumptam, errorem nempe intellectus adnexum habet, atque adeo creaturae cultum exhibet, quia ipsi divinitatem tribuit. *Imperfectam* vero, quae non ex errore, sed aut ex odio in Deum, aut cupiditate aliquid obtinendi, daemone aut alteri creaturae cultum externum, tamquam Deo, exhibet.

Extra controversiam autem est penes omnes, quamlibet idololatriam, sive perfecta sit sive imperfecta, sive etiam tantum simulata et externa, quando scilicet quis non ex errore aut mala voluntate, sed mere ex timore, v. gr. tyranni, cultum idolo ceu Deo exhibet, esse peccatum mortale.

(3) Differt *ars notoria a divinatione*, quod mediis improprietatis haec quorundam occultorum notitiam ac praedictionem, illa vero directe scientiae infusionem quaerat. *Observantia vero eventuum* quamquam, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 96. art. 3.), *quodammodo pertineat ad divinationem, quae fit per astra, secundum quae distinguebantur dies fausti et infausti*; adest tamen discrimen, *quod huiusmodi observationes sunt sine ratione et arte; unde sunt magis vanae et superstitiosae*. Adde ex eodem S. Thomas (*In Galat. cap. IV. lect. IV.*), quod observantia eventuum spectet ad proprios actus secundum vana indicia disponendos: divinatio vero speculativam occultorum notitiam magis intendat.

Principia. — Vana observantia est peccatum grave, quia honorem divinum creaturae tribuit, dum ab ea expectat, quod a solo Deo expectandum est; et quia pacto implicito cum daemone nititur (4). Veniale tamen saepe esse potest ex imperfectione actus, ex simplicitate ex ignorantia aliqua vel ex timiditate, ut evenit praesertim inter rudes in observantia eventuum. — S. Lig. n. 15.

II. Vana observantia dignoscitur praesertim 1^o ex insufficientia causae ad effectum naturaliter producendum; 2^o ex adiunctione vanae vel falsae circumstantiae quasi necessario requisitae; 3^o ex infallibilitate, quae tribuit mediis nullo modo infallibilibus. — S. Lig. n. 16.

III. In dubio num effectus proveniant a causa naturali, an a daemone, tribui possunt viribus naturae; et proinde licitum est illos procurare, quia non constat rem esse malam; consulto tamen praemittitur protestatio contra quemlibet daemone intervenit. — In dubio (5) autem an effectus a daemone vel a Deo producantur, si certo constet eos a causa naturali provenire non posse, daemone tribuendi sunt, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant, quia temerarium est putare, fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus, necne. — S. Lig. n. 20. — S. Thom. 2. 2. qu. 96. art. 1. et alii communiter.

265. **Resolves.** — 1^o Superstitionis rei sunt qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota aut certum adhibent numerum crucum vel orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos... etc. — S. Lig. n. 17.

2^o Item qui gestant quasdam orationes ad S. Birgittam aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis expectantes. — Non tamen vituperandi sunt, imo admodum laudandi, qui numismata pia, sacras effigies aut Reliquias Sanctorum gestant, sperantes auxilium divinum specialiter se impetraturos esse. — S. Lig. ibid.

3^o Item rei sunt superstitionis, qui aliquos dies tanquam faustos, alios vero infaustos habent, ita ut actiones suas exinde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas... etc. — S. Lig. ibid.

(4) Vana observantia, uti communiter habent Theologi, alia fit cum expressa, alia cum tacita daemone invocatione. Prior contingit, cum quis procurare aliquid per media inordinata volens, daemone opem expresse invocat aut desiderat, sive id cum pacto fiat, sive sine pacto. Posterior vero, cum quis media adhibet inordinate, quae neque per se neque ex Dei

institutione virtutem efficiendi illud habent quod quaeritur.

(5) Dubium ex sensu scholae *strictum* intellige, quando scilicet nulla probabilis seu prudens ratio adest de virium naturalium insufficientia, aut daemone intervenit; quod et de prima huius principii parte statui debet.

4^o Superstitiosum vero non est observare lunam aut tempora colligendis herbis, caedendis arboribus aptiora, etc..., nec res sacras, aut verba S. Scripturae gestare ad honorem Dei vel Sanctorum, et ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum orationum, nec facere ea omnia, quae devotionem augere possunt, modo vis infallibilis ipsis non tribuatur. — S. Lig. ibid.

5^o Nec ullatenus superstitiosum, quinimo valde religiosum ac pium est recitare preces novendiales, aut toties preces iterare in cultum Domini Nostri vel B. Virginis, alicuiusve Sancti, modo vis *infallibilis* tali numero, certae diei, aut fixo tempori non annectatur. — S. Lig. ibid. — V. *Casus*, n. 253.

§. III. De divinatione.

266. — DEFINITIO. Divinatio est inquisitio occultorum ope daemonis.

DIVISIO. Est 1^o *expressa*, si fiat per invocationem expressam daemonis; 2^o *tacita*, si illa invocatio sit tantum in mediis improprietatis (6).

Varia distinguuntur divinationis genera, cuiusmodi sunt praesertim; — 1^o Astrologia iudiciaria ex astris; — 2^o Augurium ex garritu avium; — 3^o Auspicium ex earum volatu; — 4^o Aruspicium ex visceribus animalium; — 5^o Chiromantia ex lineis manus; — 6^o Geomantia ex signis in terra; — 7^o Omen ex fortuito casu; — 8^o Necromantia ex invocatione mortui; — 9^o Oniromantia ex somniis; — 10^o Sortilegium ex sortibus; — 11^o Oraculum ex idolis; — 12^o Vaticinium ex vatibus aut chartis. — S. Lig. n. 5-6.

267. **Principia.** — I. Divinationi tribuendum est quidquid occulti cognoscitur alio modo quam per revelationem, aut per media naturalia; non enim aliud datur medium res occultas investigandi. — In dubio autem utrum cognitio ex mediis naturalibus oriatur, nec ne, num a bono an a malo spiritu, applicandae sunt regulae supra de vana observantia expositae.

(6) Nimirum non requiritur, ut daemon aliquando pactus sit, se ad usum cuiuspiam vani medii concursurum: eo enim ipso, quod quis vanis utitur, daemon se immisceat, licet praeter intentionem utentis sit eiusdem operam invocare. Neque is excusatur, qui talia media credit utilia propter experientias: quippe has daemon procurat, ut homines paulatim illaqueet, et ad similia usurpanda inducat. Conf. Sanchez in *Decal.* lib. 2. cap. 38. Et haec

quidem etiam quoad vanam observantiam retinenda sunt. Ex quorum sane oblivione factum est, ut in sententia de quibusdam *magnetismi* (ut vocant) phaenomenis ferenda nostris hisce diebus quidam prorsus imprudentissime vel haeserint incerti vel etiam culpae cuiusvis experts id pronunciarint, quod vel puer primis catecheseos rudimentis imbutus diabolicae fraudi manifeste adscribendum pronunciasset.

II. Divinatio expressa nunquam a mortali excusari potest, ne per ignorantiam quidem; patet enim pactum cum daemone esse quid gravissime illicitum.

Constat aperte ex Scriptura sacra. Sic enim *Deut.* 18. 10.: *Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. Nec sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: omnia haec abominatur Dominus.* — Et *Levit.* 20. 6.: *Anima quae declinaverit ad magos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam de medio populi mei.*

III. Divinatio autem tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem vel ignorantiam, vel ob defectum fidei certae. — S. Lig. n. 7. — Voit, n. 416.

268. **Resolves.** — 1^o Non vacat culpa gravi, qui utens mediis improprietatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum daemone commercium intendere (7); agit enim contra suam protestationem, et daemone implicite invocatur, cum nec Deus, nec Angeli talibus se immisceant. — Secus tamen in dubio, an effectus habeatur a causa naturali, ut de vana observantia dictum est. — S. Lig. n. 8. — Lacroix, — Bonacina, etc.

2^o Distinguendi sunt sedulo effectus naturales a liberis; priores enim saepe conici possunt, uti v. gr. ex cantu et volatu avium, aut siderum aspectu coniecitur tempestas, pluvia vel caeli serenitas, etc.: experientia enim constat, inter haec naturalem adesse connexionem; secus vero de posterioribus dicendum.

3^o Indoles aut animi status interdum aliquo modo ex colore vultus vel aliis signis externis conici potest, etsi in praxi plerumque a talibus coniecturis sit abstinendum ob iudicii temerarii periculum; actus vero liberi, sive praeteriti sive futuri, nunquam certo cognosci possunt.

4^o Peccant graviter, qui de fortuna seu vita sua futura a vatibus inquirunt (gallice: *faire dire sa bonne fortune ou sa bonne aventure; faire tirer les cartes*); nisi ex simplicitate, ioco aut curiositatis causa agant, quin fidem dictis adhibeant. — S. Lig. n. 10. — Sanchez, etc. — Si tamen serio faciat vates, difficile a cooperatione graviter culpabili excusari possunt. — Ita Reuter, n. 43.

269. **Quaesita.** — QUAE. 1^o *An aliquando licitus sit usus sortium?*

Resp. 1^o *Sortes divisoriae*, quibus discernitur, quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis, vel rebus distribuendis, certo licitae sunt, si quidem omni prorsus superstitione vacant.

(7) Conf. Responsum S. Poenitentariae ad Episcopum Lausanensem (infr. n. 280.), circa notitiam alicuius secreti hauriendum

a persona, quae ope magnetismi in somnambulismum inducatur.

Resp. 2^o Sortes *consultoriae*, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum, non sunt licitae, nisi fiant speciali Dei impulsu aut agatur de gravi negotio, in quo aliud consilium desit. Ratio est, quia ex ordinaria providentia non vult Deus, ut ita inquiratur de sua voluntate, sed ad viros prudentes, vel Superiores ecclesiasticos recurrendum est.

Resp. 3^o Sortes *divinatoriae*, quibus rei occultae manifestatio inquiritur, v. gr. ex iactu taxillorum, etc., sunt semper graviter illicitae, utpote tacitam saltem daemonis invocationem continentem. Huiusmodi superstitionis proprie *sortilegium* nuncupatur, quo nomine etiam alia superstitionum genera vulgo veniunt. — S. Lig. n. 10.

270. — QUAER. 2^o *An liceat futura ex somniis conicere?*

Resp. Neg. ordinarie, quia somnia fere ex causis naturalibus proveniunt, v. gr. ex humorum commotione, etc... Aliunde somnia a Deo immissa rarissima sunt, et coniunguntur signis, per quae a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possint. — S. Lig. n. 9. — Tamburinius, etc.

QUAER. 3^o *An licitus sit usus virgae divinatoriae?*

Resp. 1^o Certo est damnandus, quoties virga movetur, vel non movetur ad meram intentionem eius, qui eam manu premit, nec movetur in conspectu alterius rei non quaesitae, licet eiusdem sit naturae. Nulla enim est proportio inter rem naturalem et hominis intentionem. Hinc graviter peccant, qui virga utuntur ad furem quaerendum, vel ad lapidem agri limitem detegendum.

Resp. 2^o Non videtur certo damnandus usus virgae ad detegendas aquas vel metalla, si virga super haec in omni casu aequè moveatur, sive quaerantur sive non quaerantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse possit, excludaturque omnis animus superstitiosus. — *Ita communiter recentiores*, contra S. Lig. n. 8., ubi usum virgae divinatoriae in omni casu reprobatur (8). — V. *Casus*, n. 263. et seq.

§. IV. De magia et maleficio.

271. — I. *Magia late sumpta*, seu *magia naturalis* aut *artificialis*, quae *magia alba* vocatur, est ars faciendi mira saltem apparenter per causas naturales aut hominis industriam, absque ullo daemonis ministerio.

Magia, stricte dicta, est ars mira faciendi, quae licet non supernaturalia sint, vires tamen hominis superant, et proinde ope solius daemonis explicite vel implicite invocati fieri possunt.

(8) Verum non est, S. Alphonsus reprobare usum virgae huius in omni casu. Responsione; de secunda autem hypothese S. Doctor ne verbum quidem habet. Reprobatur eo sensu, de quo A. in prima

II. *Maleficio* est ars nocendi cum daemonis interventu. Duplex distinguitur, scilicet *amatorium* et *veneficum*. *Maleficio amatorium*, seu *philtrum*, est ars diabolica, qua lubricus amor vel odium in aliqua persona erga aliam vehementer excitatur. *Maleficio veneficum* est praecise ars proximo nocendi ope daemonis, idque variis modis, v. gr. morbis, hebetudine, etc. — S. Lig. n. 23.

Maleficio vulgo vocatur *sortilegium*, quia per illud sors mala iniicitur iis, contra quos vindicta, per operationem diabolicam, exercetur. Hinc in Iure canonico et in historia ecclesiastica magi et sagae *sortiarii* et *sortiariae* vocantur.

272. **Resolves.** — 1^o *Magia* non differt a vana observantia, nisi quod eius effectus sint magis miri, v. gr. immutatio corporum, etc... Specie autem morali nec a vana observantia differt, nec a divinatione; quia parvi refert, utrum a daemone occultorum notitia aut effectus mirandi petantur.

2^o *Maleficio* autem differt specie ab aliis superstitionibus, quia praeter peccatum Religioni oppositum, damnum proximi superaddit.

3^o *Maleficio amatorium* non inducit necessario ad patrandum luxuriae peccatum; quia non tollit libertatem, sed ad libidinem tantummodo vehementer excitat erga aliquam personam determinatam, phantasia immutando et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo. — Reuter, — S. Lig. n. 23.

QUAER. *An peti possit a mago, ut maleficio tollat?*

Resp. Neg., nisi rationabiliter praesumi possit, illud mediis naturalibus auferendum esse. — *Ita communiter Theologi.* — S. Lig. n. 24. et 25.

Magi et malefici incurrunt excommunicationem speciali modo reservatam, si accedit haeresis formalis; et id facile evenit, quando v. gr. miscent res sacras, diabolum ceu Deum adorant, vel consulunt de iis, quae solus Deus nosse potest, etc. — Excommunicationem etiam incurrunt, seclusa haeresi (9). Constat ex c. *Si quis ariolos*; sed probabiliter haec est tantum ferendae sententiae. In veteri Testamento malefici morte plectebantur. *Exod.* 22. 18.: *Maleficos non patieris vivere.*

Porro Parochi, concionatores et catechistae cavere sedulo debent, ne fideles alloquantur de variis sortilegiis et superstitionibus vulgo incognitis; sed brevem habeant sermonem tantum de iis, quae in illa regione nota sunt, ne ea edoceant potius quam ab iis avertant.

(9) Haec censura post Constitutionem *Apostolicae Sedis* SS. D. N. P. Pii IX obsoleta est.